11

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

TACITO PIGNORE LOCATORIBUS COMPETENTE

QUAM

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA

IN ILLUSTRI ARGENTORATENSIUM ACADEMIA,

EX INDULTU

MAGNIFICI JCTORUM COLLEGII

PRO LICENTIA

SUMMA IN UTROQUE JURE PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSEQUENDI

PUBLICO AC SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI

D. 28. JAN. MDCCXXXVII.

IN AUDITORIO HYBERNO, HORIS CONSUETIS


SUBMITTIT

FRANC. JACOBUS VOIRHAYE,

TABERNENSIS ALSATA.

Typis, MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

DEO,
PATRIÆ,
PARENTI,
PATRONIS
atque
AMICIS.



I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

D E

TACITO PIGNORE LOCATORIBUS COMPETENTE.

§. I.



Arii in jure noſtro reperiuntur modi, quibus aliquem ſecurum reddere poſſumus, nimirum vel per *fidejuſſores*, vel per *pignora*, vel per *juramentum*, vel denique per *nudam promisſionem*.

Modus iſte, qui pignoribus fit, frequentiſſimus fere omnium eſt, non enim facile ac lubenter alicui quis credit, niſi prius ſibi de pignore proſpectum eſſe ſciat, ſecundum MARTIALEM *Lib.* 12. *Epigram.*

Cum rogo te nummos ſine pignore, non habeo, inquis,
Idem, ſi pro me ſpondet agellus, habes.
Quod mihi non credis, veteri, Theleſine, ſodali,
Credis colliculis arboribusque meis.

Hoc autem pignoris nomen variam in jure noſtro habet ſignificationem; interdum enim ſumitur pro *ipſa re oppignorata*, *L.* 4. *L.* 8. §. 5. *ff de pignor. act.* *L.* 13. §. 4. 5 6. *L.* 16. §. 3. *&* 5. *ff. de pignoribus.* & plurimis aliis in locis. Quandoque denotat ipſum *contractum pignoris*, ut in *L.* 1. §. *ult. ff. de pactis.* Sæpius denique conſideratur, ut *Jus Creditori in pignore conſtitutum*, ut *in L.* 4. *L.* 5. *L.* 11. §. 2 *L.* 13. *L.* 16. *ff. de Pign.* & toto titulo *ff. qui potiores in pignore*, item, *quibus modis pign. vel hypoth. ſolvitur.*

§. II.

§. II.

Definitur autem pignus in ultimo ſenſu ſumtum, quod ſit *jus in re aliena mobili vel immobili creditori in ſecuritatem debiti vel crediti competens.* Conſtituitur autem vel à *voluntate & facto hominis*, vel ex *ſpeciali Legis diſpoſitione.* Unde omne jus pignoris vel *expreſſum* vel *tacitum* ſeu legale eſt. Illud ſolius hominis, hoc ſolius legis eſt, ut homine etiam invito introducatur, licet, quando quid negotii facit, in quo tacitum pignus lex conſtituit, etiam in illud conſenſiſſe præſumi poſſit. Habent autem tacitum hoc pignus à lege definitum præter multos alios etiam Locatores in bonis eorum, quibus prædium locatum, pro penſione & damno rei locatæ conductæ facto.

§. III.

Quæritur autem, ſi conductor prædium deterioravit, vel totam penſionem

 non

non ſolvit, *quanam res pro mercede aut damno dato pignoris jure teneantur*? Reſpondetur, prouti ex variis legum textibus conſtat, diſtinguendum eſſe hoc in caſu inter prædium urbanum, & prædium ruſticum. Quod ſi prædium urbanum alteri locatum, tunc omnes res inquilini in prædium urbanum illatæ aut invectæ Locatori tacite obligatæ ſunt, & pignoris titulo nectuntur, etiamſi nihil nominatam hac de re inter partes conventum ſit. Quod ſi vero prædium ruſticum alicui locationis jure traditum, tunc tantum fructus, qui ibi naſcuntur, tacite intelliguntur pignori eſſe domino fundi locati, licet nihil de iis ſtipulatam ſit. *L. 7. ff. in quibus cauſ. pign. vel hyp.* obſerva autem, ut HEIGIUS *in Inſtit. de act.* docet, quod neceſſe ſit, ut fructus illi penſionis perſolvendæ tempore extent, ſi quidem pro conſumtis, alienatiſque locatori nullam competere actionem ex tacita hypotheca ſta.

ſtatuit in tantum, ut ſi ex pretio eorundem fuerit emptum prædium, vel quid aliud, illud non cenſetur hypothecatum, vid. *L.* 3. *C. in quib. cauſ.* & MENOCH. *de adipſc. rem.* 3. *n.* 120. 121. Ratio eſt, quia in hac hypothecarum materia pretium loco rei non ſuccedit. *L. ff.* 1. *de diſtract. pign.*

§. IV.

Illata autem vel invecta in prædium ruſticum quod attinet, illa aliter pignoris jure non tenentur Domino, quam ſi expreſſa conventio interceſſerit, quod aperte probat *L.* 4 *ff. in quibus cauſ. pign.* *& L.* 5. *C. Locati.* Ratio hujus differentiæ ſi quæratur, ea ſumenda eſt ex moribus populi Romani. In ruſticis enim prædiis ſatis cautum eſſe credebant, ſi fructus in eis nati tacite obligati eſſent locatori, adeoque alio pignore opus non eſſe volebant, & equi, boves, & hujus generis alia

alia non aliter ipsi obligata erunt, nisi id expresse conventum, juxta *L. 4. & 7. ff. in quib. caus. pign.* Quæ ratio cum in prædiis urbanis cesset, quoniam in his nulli fructus nascuntur, ideo necesse est, ut lex succurrat Locatori prædii urbani, ipsique securitatem in aliqua re constituat. Hinc etiam factum, ut pro pensione & deterioratione rei locatæ omnia inquilini invecta, inducta & illata locatori, sive sciat, sive ignoret, id est, sive convenerit, sive non, tacite pignoris nomine obligatæ sint, ita ut, si res conductoris in domum illata postea ad tertium perveniat, locator agere possit vel actione hypothecaria vel interdicto Salviano ad avocandam rerum tali modo obligatarum possessionem, & quidem non solum contra conductorem & ejus heredes, sed etiam contra quoscunque rei oppignoratæ possessores. *L. 1. ff. de Interd. Salviano.*

§. V.

§. V.

Quæritur hac occasione, an istæ res invectæ possint à locatore pro alio debito vel antiquo vel interea facto retineri? Videtur quod non retinere possit creditor rem oppignoratam, quoniam pecunia, cujus ratione pignus constitutum, soluta est, nunc autem constat ex *L 5. ff. quib. mod pign. vel. hyp. solv.* quod pignus liberetur solutione ejus pecuniæ, pro qua obligatum. Deinde videtur quoque iniquum esse, invitis nobis res nostras detineri ab alio cessante principali obligatione L. 25 §. 1. *ff. solut. matr.* Verum affirmativam sententiam hac in re fovendam esse, cum BARTOLO *in notis ad* L. 11. § *solutam in f. ff. de Pignor. act.* quamplurimi docent ob *Legem* 1. *C. etiam ob chirograph. pecun.* in qua expresse sancitum est, quod pignus habens possit rem oppignoratam retinere non tantum in eam summam, cujus intuitu obligata est, sed &

in debitum, quod ſine pignoris nexu nudo chirographo comprehenſum, & quidem jure exceptionis oppoſitæ actioni pignoratitiæ, quam debitor intendit. vid. MANTICA *de tacit. & ambig. convent.* L. II. *tit.* 15. *n.* 12. SURDUS *Dec.* 46. *n* 9. BURSAT. *Conſ.* 9. *n.* 28. GREGOR. *deciſ.* 254. *n* 2. Quorum ſententiam & ego ſequor, modo debitum, pro quo pignus retinetur, liquidum ſit.

§. VI.

Ratio hujus rei juſtiſſima eſt, quoniam debitor improbe facere videtur non ſolvendo, quod ſe debere fatetur, & animum ſatis improbum & malitioſum declarat, qui petit, ut creditor ſtet promiſſis a ſua parte, & pignus ex contractu reſtituat, ſed ipſe debitor non vult ſtare promiſſis, & contractum à ſua parte implere, id eſt, non vult debitum ſolvere. Nec ullius momenti ſunt dubitationes

ſupra

ſupra allatæ, cum prima vera ſit, quando una tantum res debetur, hac enim ſoluta ſolvitur & pignus, quod ei adjectum eſt, non vero quando duæ ſortes uni perſonæ debentur, hoc enim caſu propter rationes jam adductas aliud dicendum eſt. Secundam dubitandi rationem quod attinet, illa quoque vera eſt, quando nobis invitis res noſtra ſine cauſa detinetur, ſecus ſi cum cauſa. Nec etiam obſtat L. *fin. C. commod.* quoniam plane de diverſo caſu ibi mentio fit, ſcilicet, quando creditor volebat retinere rem, quæ non erat obligata pro aliquo debito, ut eſt res commodata, hoc enim caſu eam retineri non poſſe, indubitati juris eſt.

§. VII.

Mittamus hoc, atque tranſeamus ad ſupra poſitam deciſionem, qua differentia data inter prædia ruſtica & urbana, ſi forſitan locator tacitum jus pignoris in illatis vel invectis præ-

tendat. In illis coloni res, quas in fundum infert, obligatæ ſunt domino, ſi expreſſe ſtipulatus ſit, in his autem inquilini res illatæ in domum conductam, ſive dominus nominatim hac de re convenerit, ſive non, ſemper tacite ei oppignoratæ ſunt. Nec obſtat, quod invecta in ſtabula tacito pignore locatori teneantur L. 4. §. 1. *ff. in quibus cauſ. pign.* cum tamen ſtabula inter prædia ruſtica referenda ſint. Nam reſpondetur, ſtabula mixti generis eſſe, atque partim uſui urbano, partim ruſtico inſervientia, in caſu *Legis* 4. §. 1. *ff. eod.* ſtabula magis ut urbana prædia quam ruſtica conſideranda ſunt.

§. VIII.

Obſtare autem videtur ſecundo L. 3. *ff. eod.* ubi ULPIANUS dicit, *ſi horreum fuit conductum vel diverſorium vel area tacitam conventionem de invectis, illatis etiam,*

etiam in his locum habere putat NERATIUS. Ex quo colligere quis poſſet, quod etiam ſine conventione res in prædium ruſticum invectæ tacite locatori obligatæ ſint, quoniam horreum non eſt prædium urbanum, ſed ruſticum ex eo, quia fructibus condendis comparatum eſt. Verum reſpondetur horreum non tantum fructibus condendis, ſed etiam mercibus cuſtodiendis deſtinatum eſt, prouti DION. GOTHOFREDUS in notis ad iſtam *Legem tertiam* demonſtrat, ex quo ſimul patet, horreum ibi ſumi pro loco, in quo mercatores ſuas merces cuſtodiunt, adeoque urbano, non vero ruſtico prædio adjungendum eſſe nullus dubito.

§. IX.

Tertio denique dubitandi argumentum præbet *§. 7. Inſt. de actionibus.* ubi videmus, actionem Servianam dari de rebus coloni. Verum facile tolli poteſt

 hæc

hæc dubitandi ratio, dicendo: quod actio Serviana detur non de omnibus, sed de illis tantum rebus, quæ pignoris titulo nectuntur vel ex speciali legis attributione, vel ex facto seu voluntate hominis expressa. Deinde non quæritur ibi, quæ res pignori sint, sed si sunt pignoris nomine obligatæ, qualis ad eas persequendas competat locatoribus actio. Denique maximopere nostræ sententiæ contrariari videtur L. 7. §. 1. *ff. in quib causis*, ubi dicitur, omnia in locum (adeoque sive rusticum, sive urbanum) illata, ut ibi sint, tacite pignori esse. Verum respondet COCCEIUS *in Jure Contr.* h. t. quod debeat referri hic paragraphus non ad principium ejusdem legis sed ad præcedentem legem sextam, ubi dicebatur invecta in prædium urbanum esse tacite pignori, hic jam pergit, non de omnibus invectis id verum esse, sed de illis tantum, quæ invehuntur, ut ibi sint.

§. X.

§. X.

His & aliis non obstantibus, illa semper prævalet sententia, quæ differentiam in supra allegatis legibus fundatam facit inter illata & invecta in prædium urbanum, & inducta in prædium rusticum, Hæc non aliter, nisi expresse conventum, locatori oppignorata sunt. Illa vero etiam sine conventione tacite obligata habet locator, & licet hic insuper sibi de speciali hypotheca providisset, tamen hoc nullum generaret præjudicium, quia per hoc non censetur voluisse sibi præjudicare in tacita hypotheca inducta à lege, prouti communis DD. opinio docet, vid. Surd. *cons.* 209. *n.* 12. Mantica *d. t.*. 15. *n.* 19. Nec contra hanc assertionem militat *L. f. Cod. de pact.* ubi dicitur, provisionem hominis legis provisionem tollere, siquidem tum demum brocardium hoc locum habet, & procedit, quando in defectum provisionis legalis hominis provisio facta, non quando ex alio, veluti hic, manat fonte.

§. XI.

§. XI.

Ampliatur prædicta regula etiam in subconductore, ita ut beneficium hujusmodi taciti pignoris competat locatori etiam contra istum, qui rem à primo conductore locationis conductionisque titulo accepit, & res a secundo conductore illatæ pari ratione primo locatori pro pensione & deterioratione hypothecatæ sint, ut probat L. 11. §. 5. *solutam ff. de pignor. act.* ita tamen ut eadem distinctio, quæ supra data, observanda sit scilicet inter inquilinum, qui prædium conduxit urbanum, & colonum seu conductorem prædii rustici. Secundi inquilini res illatæ tacite Domino fundi semper obligatæ sunt, imo & fructus in fundo coloni nati, non vero ejusdem bona in prædium rusticum illata, nisi expressa interveniente conventione. Et sic conciliandа est *L.* 11. *§. solutam ff. de pignor. act. cum L* 24. §. 1. *ff. locat.* quippe in qua ulti-

ultima, dum res posterioris conductoris domino fundi non obligatas esse refert, tantum sumenda de locatore prædii rustici, qui sibi de pignore in illatis nominatim non prospexit.

§. XII.

Quod si itaque primus locator in contractu stipulatus sit à conductore immediate expressam hypothecam, quia, cum in ea expressa veniant nomina debitorum, sic haberet hypothecatum utiliter nomen sui istius debitoris, & sic agere posset contra ipsum, ejusque bona. Et licet secundus conductor non sit personaliter obligatus primo locatori, & sine personali obligatione non possit à principio constitui hypotheca, tamen hoc non obstante res invectæ & illatæ per secundum conductorem sunt tacite oppignoratæ primo locatori, per obligationem primi conductoris, quia in obligatione primi conductoris obligatio contracta ad fa-

 vorem

vorem locatoris, ineſt illa alia obligatio contracta per ſecundum, & ſic locator dicitur habere illam utilem actionem hypothecariam, vid CAROC. *de locat. p. 5. tit. de invect. quæſt.* 3. *n.* 9. *&* 10., dicens: poſſe locatorem prohibere, ne dominus diſtrahat res invectas ratione ſuæ tacitæ hypothecæ, & quod dicitur in ſecundo, procedit in tertio, & deinceps alio ſubconductore.

§. XIII.

Limitatur tamen hujusmodi remedium competens in bonis invectis & illatis per ſecundum conductorem *primo*, ſi non totum prædium à primo conductore ſecundus acceperat, ſed tantum aliquam partem, hoc enim caſu, res ſecundi conductoris obligantur domino fundi, non in totum & univerſam conductionis cauſam, ſed pro ea tantum prædii parte, quam primus ſecundo conductori ſub-

ſublocaverat, & pro ea ſaltem mercede, quam ſecundus promiſerat. *Secundo* quoque bona per ſecundum conductorem illata non ſunt tacite obligata primo locatori, ſi ſecundus conductor gratis à primo conductore domum accepiſſet, vid. BARTOL. *in not. ad L.* 11. §. *ſolut. ff. de Pignor. act.* & MENOCH. *de adipiſc. poſſ. rem.* 3. *n.* 10. & NEGUSANT. *de Pignorib. p.* 2. *memb.* 4. *n.* 136.

§. XIV.

Quæritur autem in hoc caſu gratuitæ factæ locationis, an ſecund conductoris res illatæ tam pro penſione quam deterioratione rei locatæ non obligatæ intelligantur, an verò ſaltem pro penſione, & non pro damno in re locata dato? Reſpondetur, non obligatæ cenſentur pro mercede, bene tamen pro deterioratione. Ratio hujus rei hæc eſſe videtur, quoniam enim hypotheca in illatis competens ex duplici cau-

 ſa

ſa oritur, partim reſpectu ſolvendæ penſionis, partim ratione damni dati reſarciendi; hinc videndum, pro quo ſe obligaſſe cenſendus ſit. Pro priori caſu ſecundus conductor, qui gratis conduxit à primo, non videtur ſe obligare pro penſione primi conductoris, quoniam cum conductore non eſt à ſubconductore initum pactum de ſolvenda penſione, ſed locatio gratuito facta; & propterea præſumitur abeſſe animus, quod voluerit obligare ſua bona pro debito prorſus alieno, & ſubordinatur hypotheca ad favorem primi tantum ex obligatione ad penſionem expreſſe facta ſecundo, à quo ille cauſam habet. Aliud vero dicendum eſt in altero caſu pro deterioratione ſcilicet ex facto ipſius conductoris ſecundi male utentis re conducta, quoniam alia adeſt ratio, & gratuita conceſſio non nocere debet domino reſpectu deteriorationis, ad quam præſtandam præſumitur

tur

tur ſecundus conductor obligaſſe ſua bona invecta & illata. vid NEGUSANT. *d.t. p.* 2. *memb.* 4. *n.* 138.

§. XV.

Coronidis loco videndum quoque eſſe autumo, an prædicta in legibus conſtituta differentia inter res illatas in prædium urbanum & ruſticum hodie adhuc in viridi obſervantia ſit, & ſpecialiter locator prædii ruſtici opus habeat, ut per pactum de rebus in fundum à colono illatis ſibi pignoris nomine proſpiciat? Plerique recentiores rejiciunt hanc differentiam, ſtatuentes: indiſtincte illata & invecta in prædium conductum ſive ruſticum fuerit, ſive urbanum, pignoris nexu tacite obligata eſſe, prouti MEVIUS *P.* 4. *Dec.* 127. docet, & licet alii contrarium obſervari, & iſtam differentiam adhuc communiter receptam eſſe aſſeverent, in Pomerania tamen eam abrogatam eſſe ex eodem MEVIO conſtat.

§. XVI.

Quicquid ſit hujus rei, illud adhuc addendum eſſe exiſtimo, quod locator, qui tacitam vel expreſſam hypothecam in illatis prætendit, probare debeat, res ea intentione, eoque animo in prædium inductas eſſe, ut ibi maneant *L.* 7. §. 1. *ff. in quib. cauſ. pign.* quod dignoſci ex qualitate rerum poteſt. Hinc res venales invectæ, non obligatæ ſunt, quoniam non ſunt illata in fundum, ut ibi durante locationis tempore maneant, ſed ut pro occaſione & tempore diſtrahantur. Nec chirographa, aut inſtrumenta debitorum pignoris nexu nectuntur, quoniam illata cenſentur, ut quam primum poſſint exigi, non vero ut ibi perpetuo maneant vid. MANTICA *d. t. Lib.* 11. *tit.* 15. *n.* 35. & ita non veniunt in generali obligatione bonorum reſtricta ad certum locum. Tertio nec ſubjacet hypothecæ legali pecunia invecta, quoniam non cenſetur indu-

inducta, ut ibi permaneat, propter ejus frequentem & celerem motum, unde etiam semper dicitur parata alienationi, & propterea connumeratur inter ea, quæ servando servari non possunt. Secus autem dicendum est, quando est recondita in arca, ut non dietim expendatur, sed ut sit loco peculii. vid. GOMEZ. *n.* 20. Idem & quarto statuendum de omnibus rebus prohibitis. An vero studiosorum libri in museum conductum illati pro pensione tacite obligati sint? ardua inter DD. quæstio est. Communis eorum opinio est, quod non, quoniam ejusmodi hypotheca aliquatenus naturam sapit generalis hypothecæ, in quam non veniunt ea, quæ in quotidianum usum habentur, & quæ verisimile est, quenquam specialiter obligaturum non fuisse, *L. 6. ff. de Pign.* hujusmodi res sunt libri studiosorum, quibus carere non possunt sine jactura eruditionis, in

quo

quo etiam intereſſe quoddam publicum verſatur , Salus enim Reipublicæ ſuprema Lex eſt , & omnium rerum debet eſſe

FINIS.

COROLLARIA.

I.

Is, qui in utero eſt, habetur pro jam nato.

II.

Servi quoque injuria affici poſſunt.

III.

A ſententia arbitri appellare non licet.

IV.

Miles exauctoratus efficitur infamis.

V.

Monſtra non habentur pro liberis.

VI.

Legatum Parocho relictum cenſetur ad pias cauſas factum.